

IOSEPHI  
GIBALINI

E SOCIETATE IESV

THEOLOGI,

DE IRREGVLARITATIBVS

& impedimentis Canonicis, sacrorum Ordinum

susceptionem, & vsum prohibentibus, *De la Comendat*  
*de W. de Sal*

LIBER SINGVLARIS.



LVGDVNI.

Sumptibus PHILIPPE BORDE, LAURENTII ARNAVD,  
& CLAVDII RIGAVD.

M. DC. LII.

CVM SUPERIORVM PERMISSV.

*Diego de la Fuente Hurtado*



EMINENTISSIMO,  
*ET REVEREND. PRINCIPI*  
ALPHONSO LVDOVICO  
DV PLESSIS  
DE RICHELIEV,  
S.R.E. CARDINALI  
AMPLISSIMO,  
*ARCHIEPISCOPO ET COMITI*  
*Lugdunensi, Galliarum Primate, Magno*  
*Franciae Eleemosynario.*



Hæc particula, ex maiori opere  
decerpta, tuam ambit cliente-  
lam, CARDINALIS EMI-  
NENTISSIME; quippe aliò se  
conferre, tam absonum esset,  
quàm ingratum. quem enim  
appellent irregularitates coërcitæ, nisi Te virtu-  
tum omnium normam, & canonem? in quo nata-  
lium



## Ad Lectorem.

**N** tibi Lector, delibatam amicorum precibus, aut conuitiis ex ingenti Toro particulam. quippe ex vniuersi Iuris Canonici noua, & accurata, quam apparamus, lucubratione habes decerptum de irregularitatibus argumentum. Breue quidem, & si toti componas corpori, digitum dixeris: nec eò tamen respuendum, si vel ex digito staturam Herculis collegit Empedocles, vel ex vnguiculo Leonem adagium, hoc est, ipsa natura describit. Non quidem quòd me Herculem fingam, aut Leonem, sed eò vt colligam quantum beneuolentià tuà promoueri possim; & si faues impensè digito, sperem laborem illum Herculeum, qui superfit, in efformanda corporis mole, tibi gratum futurum aliquando. qui cum longior sit, ne ad extremum spes tuas protelem, operis aliquot partes identidem repræsentabo; propediem initium facturus ab ampliori tractatu, *Mercurij Lugdunensis, sine de æquitate fori Lugdunensis*, in quo vsurarum, eius quod interest, reddituum, cambiurum, contractuum, & commerciorum omnium, totiusque negotiationis natura euoluta tenebris nouam in lucem prodibit.

Tuam porrò humanitatem solemnem omnium scribentium more interpellare cogor, ne præli currentis, & operarum, aut etiam librariorum, atque amanuensium errata auctori ipsi tribuas, sed pro tua æquitate, & eruditione ipse emendes: aliqua tamen quæ sententiam aut obscuram reddere, aut etiam falsam, & meæ menti contrariam possent, propter omissas, aut immutatas aliquot voces, indicabo. Ordior à præteritis vocibus pag. 22. col. 2. lin. 4. *illud impedire. l. non impedire. p. 45. col. 1. l. 12. pariet irregularitatem. l. non pariet. p. 122. col. 2. l. 12. vocetur homo. l. non vocetur. p. 129. col. 2. l. 18. aliud motiuum legis. l. aliud esse formalem legis decisionem, aliud motiuum legis. p. 152. c. 1. sub fin. erit tantum culpa, adde, venialis. pag. 218. col. 2. l. 21. à priuata persona, adde, è con-*

c  
trario



DE

# IRREGVLARITATIBVS

& impedimentis Canonice,

## SACRORVM ORDINVM

SVSCEPTIONEM,

& vsum prohibentibus,

*LIBER SINGVLARIS.*



VM ad Principis Augustale non omnibus promiscuè pateat aditus, tamque sublimè dignitatum fastigium exploret homines quos admittit: multò magis sacrorum maiestas, & religionis splendor cum ad Dei maximi cultum pertineat, in iis quos ad tantum apicem euehit delectum adhibet, nec sui participatione indigna capita cohonestat. Sunt igitur quædam vel à natura vel à culpa labe, quæ vt olim victimas ab cultro arcebant, ita nunc ab altaribus ministros repellunt. De quibus vt constet, sit,

A

CAPVT

CLAVDII GALI ALEXANDRI PLACITIS

GAMENI DE HIPPOCRATIS ET PLATONIS

PLACITIS LIBER SEXTVS,

IOANNE GVINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.



Nstitutum sanè mihi erat ab initio de facultatibus corpus  
 nostrum regentibus considerare, ex cordè ne solo vniuer-  
 sa proficiantur, quemadmodum Aristoteles & Theo-  
 phrastus existimabant: an tria ipsarum principia ponere  
 satius sit, vt Hippocrates & Plato opinabatur. Verùm quia  
 Chrysippus non de principijs tantum contra veteres con-  
 tendit, sed de ipsis etiam facultatibus, vt <sup>non</sup> neque iras-  
 scibilem, neq; appetitoriam esse concesserit, putauit oportere  
 opinione ipsius antè inspecta, ita rursus ad id quod ab initio proposue-  
 ram, reuerti, nempe cerebrum, cor, & iecur, facultatum nos regentium esse prin-  
 cipia. Huc itaque oratio iam deuenit, ac exordium à nominum interpretatio-  
 ne sumet, quibus iam prius vsi sumus, & in medio hoc libro frequenter vtemur.  
 Ne enim quicquam eorum quæ dicta sunt, perperam inaudiatur, sed in omnibus  
 distinctum simul, & prompte manifestum euadat, maxime necessarium est sin-  
 gula nomina de quare dicantur, exacte definiuisse. Etenim solui etiam nonnullas  
 quæstiones prius huc delatas hoc modo contingit: quemadmodum certè & hæc,  
 vt <sup>utrum</sup> actiones an affectus appellare conueniat cupiditatem & iracundiam, aliã-  
 nã: oratione autem discrepant. nam à secante facta diuisio in eo quod secatur,  
 vna & eadem res cum sit, secantis quidem, actio, eius autem quod secatur, af-  
 fectus est. Ita sanè & iracundia actio quidem est irascibilis animæ: affectus autem  
 reliquarum ipsius duarum partium: & præterea totius nostri corporis, quum ab  
 iracundia violèter ad actiones ducitur. Vnum quidem significatum vtriusq; no-  
 minis, diuersum autem, si actionem motum quendam naturalem intelligamus:  
 affectum, præter naturam. At quum multifariam id quod secundum naturam  
 est, dicatur, hoc inaudiri nunc oportet, quod primaria ratione à natura fit. Prima-  
 ria autem ratione illa fieri à natura dicimus, quæ veluti scopos natura amplecti-  
 tur, & ne illa quidem consequentia alia necessario sequitur. talis motus est secun-  
 dum naturam, siue ex ipso moueatur id quod mouetur, siue ab altero. Constare  
 itaq; iam arbitror id quod dicitur, sed nihil mali fuerit, exemplis id reddere mani-  
 festius. Cordis motus pulsuum ratione actio est: palpitationum respectu, affectus.  
 Ex eodem enim est & palpitationum motus, sed nõ secundum naturam: ex eo-  
 dem etiam pulsuum motus, sed secundum naturam. At pulsus nomen ita nunc  
 audiendum est, vt Praxagoras, Herophilus, & propè omnes posteri ad nostra vsq;  
 que tempora vsi sunt. Nam vetustior vsus, qui in Erasistrati & Hippocratis libris  
 inuenitur, alius est, & de eo posterius dicetur. Quod si verò cordis peculiare mo-



Num. 47. cap. 4. num. 42. 86

3119

12